

DISSERTATIO ACADEMICA  
HISTORIAM SISTENS CRITICAM  
DEMONSTRATIONIS EXISTENTIÆ  
DEI  
A PRIORI.

---

CUJUS PART'EM PRIOREM

CONSENSU AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS. PUBLICÆ DIS-  
QUISIT. SUBMITTUNT

AUCTOR

SIMON APPELGREN.

PHILOS. MAGIST.

ET

RESPONDENS

JACOBUS CHYDENIUS.

*Ostrobothniensis.*

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXXI MAJI  
AN. MDCCCLXXXI.

H. A. M. S.

---

ABOË

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

*Qui enim possum non cupere verum invenire, cum  
gaudeam si simile veri quid invenerim? Sed ut hoc pul-  
cherrimum esse judicem, vera videre: sic pro veris pro-  
bare falsa turpissimum est.*

CICERO.



## § I.

**U**t omne demonstrationis genus, ratione principiorum a quibus vis ipsius argumenti pendet, in duas quasi abit classes; alteram quæ experientia fundatur, sensibus hausta, & *argumentandi genus a posteriori*, audit; alteram quæ ex evidenti & distincta rei repræsentatione, quam verbis expressam definitionem appellant, vim suam mutuatur demonstrativam, quod *genus demonstrandi a priori*, nec non, *ab idea entis*, solet appellari (a): ita & summo studio haud pauci eruditorum virorum in id elaborarunt, ut utroque modo demonstrarent Deum sive Ens Summum & Perfectissimum existere; ac non una forma utrumque argumenti genus adornarent: consilio quidem

A

dem

---

(a) Illorum itaque ad mentem heic non respicimus; qui demonstrandi genus *a priori* ita late sumunt, ut comprehendant sub illo, etiam argumenta *a causis ad effectus*. Vid. *BUDDEI Theses de Atheismo & superstitione*, Cap. V. §. 1. pag. 276. not. edit. 8. a. 1737. & *JOH. GEORG. WALCHII Philosophisches Lexicon*, sub vocab. *Demonstration*.

dem haud dubie laudatissimo, at successu conatibus eorum non æque feliciter semper respondente. Posterior inprimis ratio, quæ haud paucis & ingeniosissima & facillima visa fuit, non modo difficilis, sed etiam levis & purum sophisma involvens, ab aliis, viris cæteroquin de religione meritissimis, fuit declarata & habita.

Adeo autem discordantibus judiciis virorum doctissimorum, in re quidem tam gravi atque digna quæ firmissimis superstruatur fundamentis, fieri non potuit quin late serpens & subtilis controversia hinc enasceretur, multaque ab utraque parte dicerentur & scriberentur: quibus effectum, ut necdum lis hæc omnino componi potuerit. Quare cum his litteris mentem addicens, hujus controversiæ seriem persecutus essem, quantum quidem licuit per penuriam librorum ad hanc materiam pertinentium, quos conferendi mihi fuit potestas; visum fuit, exercendi ingenii gratia, Historiolam ejus criticam in chartam conjicere: cujus *priorem partem* jam publicæ committo luci, speciminis cujusdam Academici loco: L. B. rogans, velit benigne de ea sentire, & conatibus veniam dare juvenilibus.

## §. II.

Natales hujus argumenti magis absconditos, (uti in omni fere historia longius retrogredienti solet eveni-

venire) reperivimus, quam ut pro certo aliquid de iis proferre valeamus; cum nec vacaverit eos acrius investigare, nec convenient de iis viri eruditissimi, quorum operæ atque studii fuisset eos allegare. Vifum tamen fuiffe fibi probabile, indicat Cel. CHRISTIAN. WILH. FRANCISC. WALCHIUS (a), illos usque a *Philosophis Græcis* esse repetendos. Du HAMEL (b) ejus primum usum S. AUGUSTINO, plures vero ANSELMO tribuunt *Cantuariensi*, (c); quem illud adhibuiffe docent, in libro quem scripsit: *Contra insipientem*, refellendi GAUNILONIS Monachi caussa, (qui Librum scripsit: *pro insipiente*) nec non in *Monologio*, atque *Prologio* suo (d). Perhi-

A 2

bet

(a) Grundsätze der natürlichen Gottes gelehrheit' Cap. I. §. XVII. Not. pag. 55. edit. alt. Gött. a. 1779.

(b) *Philos. vet. & novæ* Metaphys. tract. III. Disput. I. Quæst. 1. pag. 401. Edit. Noriberg. 1682.

(c) Vide inprimis BRUCKERI *Hist. Philos. Crit.* T. III. pars II. Lib. II. Cap. II. §. 47. pag. 665, & HAMBERGERS *Kürze Anzeigen von den vornehmsten Schriftstellern* &c. p. 1378. sq. Cfr. JOH. ALB. FABRICII *Delect. argumentor. pro verit. relig. Christ.* C. X. pag. 325 seqq. item, si placet, LEIBNITII *Epistolar. ad divers.* vol. IV. pag. 357. & BRUCKERI *Hist. de ideis*, pag. 277.

(d) Tomo I. Opp. edit. novæ *Gerberonii*, vid. BRUCKERI *Hist. Philos. Crit.* L. C. & GEORG. HENR. RIBOVII *Theologia Dogmatica institutionum* Sect. I. Cap. I. §. 201. Not. F.

bet tamen RIBOVIUS (e) etiam NICOLAUM CUSANUM in *Dialogo de potest, sive quia potest esse est*, eodem pro suo usum fuisse.

Hæc de ortu argumenti nostri; qui cum ita sit nubibus obductus, mirandum haud videtur ejus primam quoque, qua inventum mox fuerat adornatum formam, nos latere. Ex jam citato tamen loco RIBOVII colligas, ANSELMUM eadem illud adhibuisse forma, qua THOMAS *Aquinas* (f) de quo mox plura; a cujus testimonio haud multum differt illud HADRIANI BUURT (g), qui ab aliis sibi dicit perhiberi ANSELMUM eodem modo cum CARTESIO pro existentia Dei militasse. Seculo autem XIII. THOMAS *Aquinas* formam nobis ejus tradidit, vel, ut supra laudatis placuit viris antiquissimam, vel saltem suorum temporum accommodatam gustui, servatam & ad nos delatam libro quem inscripsit: *Summam totius Theologiæ* (h), quam itaque verbo tenus heic proponemus, ne vel omni idea speciei antiquissimæ hujus argumenti, Lectorem fraudatum mittamus.

Quæ-

(e) l. e.

(f) Dicit enim: *Huic argumento nihil deest nisi entis perfectissimi possibilitas, - - - Hoc defectum jam olim observavit THOMAS cum eo uteretur ANSELMUS.*

(g) In Not. † ad not. BUDDI \*\*\* §. I. Cap. V. p. 276 hujus *Theſium de Atheismo & Superst.* Edit. 8. a. 1737.

(h) Part. I. Quæst. II. Artic. I. §. 2.

Quæstioni ille sibi propositæ satisfacturus, postquam explicasset quid sit per se notum, nempe *cujus notio nobis naturaliter insit, sicut patet de primis principiis, sive ea quæ statim cognitis terminis cognoscuntur, quod Philosophus attribuit primis demonstrationis principiis*, sequens affert argumentum loco responsionis: *Scito enim quid est totum, quid est pars, statim scitur omne totum majus esse sua parte. Sed intellecto quid significet hoc nomen Deus, statim habetur quod Deus est. Significatur enim hoc nomine Deus, id quo majus significari non potest: majus autem est quod est in re & in intellectu, quam quod est in intellectu tantum; unde cum intellecto hoc nomine Deus, statim habetur quod sit in intellectu, sequitur etiam quod sit in re. Ergo Deum esse, est per se notum. Hoc argumentum, in hanc, ni fallor redigi potest formam: Ad ideam entis Perfectissimi pertinet existentia actualis; Deus est ens perfectissimum: Ergo Deus existit.*

Quod tamen argumentum alieno a THOMA alatum nomine, cum non placeret sibi, sequentibus illud evertere est conatus: *Dato, quod quilibet intelligat hoc nomine Deus significari hoc quod dicitur, scilicet illud quo majus cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest; quod non est datum a ponentibus Deum non esse. Quibus*

verbis illius inprimis argumentum incusat allatum vitii, quo aut certissime laborat, aut omnia me fallunt; nempe tanto omnino plus inesse in conclusione, quam fuit in præmissis, quanto plus & perfectius est esse in re, quam in idea. Quis enim per existentiam, quæ in majori propositione prædicatur pertinere ad ideam Dei, aliud unquam potest intelligere, quam *existentiam idealem* live *vicariam*, ut solent loqui, vel potius, *ideam entis a-ctû & necessario existentis?* quod qui percipere non detrectaverit, necesse est ut eodem illo termino, significatione utatur eadem etiam in conclusione; nisi vel primas regulas syllogismorum evertat aut rejiciat. Inimul necessum illi est, ut certissimum illud tollat principium: qualis est essentia, talis est etiam existentia; de qua nescio an quis hucusque dubitaverit.

At observat THOMAS verbis allatis, etiam aliud adducto argumento inesse vitium, quod juxta mentem ejus in non probata possibilitate entis perfectissimi positum videtur; de quo plura in sequentibus.

### §. III.

His levissimis de incunabulis & primis successibus argumenti jam tractandi delibatis, celebriora ejus fata depingenda se nobis porro sistunt; quæ origines suas RENATO DES CARTES sive CARTE-SIO debent, omnium consensu.



Magnus hic Philosophus duabus potissimum institit viis ad existentiam Dei ab idea entis perfectissimi demonstrandam; in quibus firmissimum posuit præsidium sanctissimæ hujus veritatis. Una fuit a posteriori, argumentando tam ab idea in mente nostra deprehensa entis perfectissimi, quam ab existentia nostri, ideam illam habentis, ad utriusque sufficientem, & suam juxta mentem, unicam possibilem causam, Deum puta omnipotentem & perfectissimum. Hunc autem fere in modum concludebat: *Est in me idea vera & distincta entis perfectissimi; hujus autem causæ ipse esse non possum, quia tantumdem ad minimum esse debet in causâ efficiente & totali, quantum in ejusdem causæ effectu est; & quia existo habens ideam entis perfectissimi, qualem me neque ipse neque alius quis formare potuit, præter ens illud perfectissimum; ergo necesse est ut concludam Deum existere (a)*. Altera via immediate ab ipsa Dei, tanquam entis perfectissimi, notione vera & immutabili, quam etjam essentiam solent appellare, & innatam nobis voluit CARTESIUS, concludebat ad ipsius Dei, notione illa repræsentati, veram & realem,

---

(a) Prima vice commisit illud luci publicæ CARTESIUS *Dissertatione sua de methodo recte regendæ rationis & veritatis in scientiis investigandæ*, a. 1637; postea vero fufius explicatum in *Meditationibus suis de Philosophia prima*, *Medit. III & Principiis suis Philosophiæ*, part. I. §. XVII & seqq.

alem, etjam extra mentem existentiam (b). Quod argumentum, ut supra jam monuimus, *argumentum a priori* communissime solet appellari.

Hoc itaque posterius tantum ad præsens pertinet institutum; & explicatius jam erit a nobis exponendum.

Cum tamen etjam illud cum hoc quodam modo cohæreat, liceat de eo quasi in transcurso observare, minus firmis a CARTESIO probatum fuisse rationibus, vires nostras non sufficere ad ideam Dei formandam, eamque ob causam illam connatam esse oportere.

Argumentum vero suum *a priori* sequentibus ipse proposuit verbis: *Ut ex eo, quod, exempli causa, mens percipiat in idea trianguli necessario contineri, tres ejus angulos æquales esse duobus rectis, plane sibi persuadet, triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis: ita ex eo solo quod percipiat existentiam necessariam & æternam in entis summe perfecti idea contineri, plane concludere debet ens summe perfectum existere (c).* Ac alibi sequenti quoque in forma; *Quod clare & distincte intelligimus pertinere ad alicujus rei veram & immutabilem naturam, sive essentiam, sive formam, id potest de ea re cum veritate affirmari, sed postquam satis accurate investigavimus, quid sit Deus, clare & distincte intel-*

(b) Vid. ejus *Meditationum, Medit. v. & Principiorum*, l. c. §. 14 seqq.

(c) *Principiorum Philosophiæ* l. c.

*intelligimus, ad ejus veram & immutabilem naturam pertinere ut existat: Ergo tunc cum veritate possumus de Deo affirmare quod existat (d).*

Hoc argumentum superstruit **CARTESIUS** veritati, atque immutabilitati rerum distincte repræsentatarum; quod principium, hoc recentiorum continetur effato: *essentiæ rerum sunt necessariæ & immutabiles.* Quo tamen quantum sibi suæque philolophiæ addictis placuit **CARTESIUS**, tantum omnino aliis displicuit, de quo innumeræ fere dehinc enatæ lites fatis testantur: quarum movendarum initium jam ante typis editas *Meditationes CARTESII de philosophiâ*, factum fuisse patet ex objectionibus in easdem factis, quas cum suis responsionibus, *Meditationibus* suis subjungi passus fuit ipse; ac quarum itaque præcipuas breviter hic tangemus.

Inter primos **CATERUS** oppugnare conatus fuit *argumentum CARTESII* \*, verbis a **THOMA Aquinate**, de quo supra, contra idem argumentum allatis, postquam sequenti inter utrumque instituta comparatione, convenire inter se, docere allaborasset: *S. THOMAS Deum ita definit: quo majus cogitari non potest; Dom. CARTESIUS vocat eum ens summe perfectum;*

B

*perfectum;*

---

(d) Responsionib. ad primas object. vid. *Meditationum de prima philos.* pag. 52. Edit. Francof. ad Moen. a. 1692.

\* Vid. *Medit. CARTESII de Philos. prim.* p. 44. sq.

*fectum; illo sane majus significari non potest. S. THOMAS, subsumit: id quo majus significari non potest, includit existentiam; alioqui eo majus significari potest, nempe id quod etjam existentiam includere significatur. At nunquid Dom. CARTESIUS idem subsumere videtur? Deus est ens summe perfectum; atqui ens summe perfectum existentiam includit, alioqui summe perfectum non esset. Infert S. THOMAS: ergo cum intellecto hoc nomine Deus, statim in ipso intellectu sit; sequitur etjam quod sit in re: hoc est, eo ipso quod in ipso conceptu essentiali entis, quo majus significari non potest, involvatur existentia, sequitur illud ipsum ens esse. Idem Dom. CARTESIUS infert: atqui, inquit, ex eo quod non possum cogitare Deum nisi existentem, sequitur existentiam ab eo esse inseparabilem, ac proinde illum revera existere.*

Huic comparationi, quæ quantum quidem nobis perspicere licet, nullo laborat vitio, præter responsionem THOMÆ, subjungit etjam brevissimam ejus quasi interprætationem, qua ipsum ulcus tangere controversiæ nobis videtur; haud obscure cum THOMA observando discrimen quod intercedit inter res existentes actu, & quæ non nisi in mente existunt, sive sunt meræ repræsentationes mentis; ex cujus distinctionis minus accurata observantia vel potissimum contigisse apparet plurimis hoc argumentum defendentibus, ut non dubitaverint syllogismum quatuor terminos continentem pro argumento firmo,  
im-

immo evidentissimo, vendere. Hoc enim discrimen rite qui observaverit; nescio an possit non aperte videre vitium argumento allato idem inesse, quo illud a THOMA allatum laborat. Concluditur enim: *Idea entis perfectissimi involvit existentiam; per Deum intelligimus ens perfectissimum: ergo Deus existit.* Juxta sobrias autem regulas logicas ex præmissis, hæc tantum fuit conclusio: *ergo idea Dei involvit existentiam, scilicet in mente eandem formantis sive sibi repræsentantis; hoc est: Deus nunquam repræsentari potest ut existentia carens, vel: nullo illum modo nisi ut necessario existentem menti meæ sistere possim; eodem omnino modo ac ARISTOTELI fuit inevitabile mundum pro necessario existente habere, postquam eum necessarium & per se existens, definiverat.*

Brevis quoque heic est CARTESIUS in respondendo, & potius de secanda quam dirimenda quæstione sollicitus: in id enim potissimum aciem dirigit, ut vitium detegat in forma argumenti a THOMA adducti, & non nisi hanc inde sequi conclusionem evincat: *ergo intellecto quid significet hoc nomen Deus, intelligitur significari Deum esse in re & in intellectu; quasi de significato vocabuli Deus tota fuisset quæstio, cum tamen nihil sit evidentius, antecedentibus collatis, quam vocabula hæc: intellecto quid significet nomen Deus, potius quam: intellecto quid sit Deus, a THOMA in syllogismum fuisse illata, non nisi ut satisfaciat quæstioni ex omni parte, scil. non tantum illi: *an Deus existat?* sed etjam*

B 2

huic:

huic: *an non mox, intellectis terminis, appareat eum existere?*

Deinde objectiones contra meditationes *CARTESII de philosophia*, misit ad Auctorem *MERSENUS*, quarum momento sexto (\*) hoc aggreditur argumentum; præcipitatæ illud inprimis taxans conclusionis, ob possibilitatem entis perfectissimi non prius probatam & argumento suo præstructam; quam vel in dubium vocari, vel negari, ab adversariis hujus argumenti, insimul observat; quod tunc temporis jam ab aliis ita proponeretur: *Si non implicat Deum esse, certum est illum existere; at non implicat: ergo existit.* Hujus objectionis nervum *CARTESIUS* sequentibus verbis exprimit: *Id quod clare intelligimus pertinere ad alicujus rei naturam, non ideo potest de ea re affirmari, nisi ejus rei natura sit possibilis, sive non repugnet;* cui haud obtuse, sed ut nobis videtur recte omnino respondet, ostendendo, se non nisi vitiosæ prolixitatis fugiendæ causâ hanc neglexisse ambagem, ejusque loco in argumentum suum illud ipsum intulisse principium, nempe *distinctam rei representationem*, ex quo possibile esse ens perfectissimum, solent demonstrare. Cum vero hoc responso præterea *CARTESIUS* testetur, hanc argumenti, sui emendationem, non tantum notam sibi fuisse, verum & rejiciendam visam, propria ejus verba non abs re fuerit affer-

---

(\*) *CARTESII Medit. de Philos. Prim. p. 58.*

afferre: *Sed videte quæso, inquit, quam parum valeat hæc exceptio; vel enim ut vulgo omnes per possibile intelligitis, illud omne quod non repugnat humano conceptui; quo sensu manifestum est Dei naturam prout ipsam descripsi, esse possibilem, quia nihil in ipsa supposui nisi quod clare & distincte perciperemus debere ad illam pertinere, adeo ut conceptui repugnare non possit; vel certe fingitis aliquam aliam possibilitatem ex parte ipsius objecti, quæ nisi cum præcedente conveniat, nunquam ab humano intellectu cognosci potest, (e).*

Aggressus quoque idem **CARTESII** argumentum fuit **GASSENDUS** (f) urgens male a **CARTESIO** existentiam cum proprietatibus conferri in Deo, quæ neque in Deo neque in ulla alia re sit perfectio sed id tantum, sine quo perfectiones non sunt; & non magis existentiam, in ideam *entis perfectissimi* posse inferri sine demonstratione, nisi assumatur conclusio pro principio, quam proprietates trianguli in ejus ideam; Nec non, perinde **CARTESIUM** facere, attribuentem Deo omnes perfectiones, ac qui ex errore putet omnes quadrilate-

B 3

ras

(e) Illud vero argumentum a possibilitate entis perfectissimi, quod atrulic **MERSENNUS** uti sophismate laborans, a **CARTESIO** fuit rejectum. vid. *Medit. ejus de prima Philos.* p. 70.

(f) In objectionibus quæ in quintam **CARTESII** *Meditationem* attulerat, vid. hujus *Medit. de philos. prima*, pag. 199. & seqq.

ras figuras circulo inscribi, nisi ostendat, Deo non repugnare existentiam, quemadmodum ostenditur repugnare rhombo circulo inscribi. Cui respondens CARTESIUS (g) miratur cujus generis rem GASSENDUS voluerit existentiam esse, nisi proprietatem, sive quod de re aliqua prædicari potest, hoc enim intelligendum heic esse sub voce proprietatis vult; addens, existentiam necessariam in Deo esse proprietatem strictissimo modo sumtam, *Illi* soli competere, & in *Eo* solo essentiæ partem facere, ac proinde existentiam trianguli cum existentia Dei conferri non posse; neque principium a se peti, referente existentiam inter ea quæ ad essentiam Dei pertinent, sed potius multo simplicius & clarius se demonstrare existentiam pertinere ad Deum, quam demonstratur de triangulo, quod ejus tres anguli sint æquales duobus rectis. De hac autem controversia hos inter viros mota, idem videtur judicandum, quod de plurimis, huc pertinentibus, nempe facilius atque felicius eam fuisse componendam, accuratius atque fidelius distingvendo inter *existentiam actualem* sive *formalem*, & *idealem* sive *objectivam*.

#### §. IV.

His tamen actis, tantum omnino abfuit ut res peracta esset, ut potius tanquam semina queant haberi

---

(g) CARTESII *Meditationum in philosoph.* p. 228.



berī litiūm quæ temporibus in sequentibus eodem de argumento motæ fuere. Hæ autem controversiæ cum non tantum diverso tempore sensimque enatæ sint, verum etiam ipsū argumentum non eodem modo ab omnibus vel defensum vel oppugnatum fuerit: utriusque rei in iis exponendis, a nobis, quantum fieri possit, ratio erit habenda. Primo itaque eorum faciendam esse mentionem putamus, quos fidelissime ipsius CARTESII vestigia pressisse constat. Quorum nescio an quisquam potiori jure nominari mereatur, quam JOH. CLAUBERGIUS & ANTONIUS *le GRAND*: uterque eleganter, ille tamen fusius & explicatius, in interpretandis & explicandis Antistitis sui præceptis versatus fuit (a). Quæ tamen de nostro argumento monuerunt, repetere superfedemus, cum vel nimis longum foret, vel nihil etiam contineant, quod CARTESIUS ipse jam non observaverat; nec omnino valeant ad difficultatem illam tollendam, quam supra monuimus obstare, quominus ab idea nuda, etiam entis perfectissimi, liceat concludere ad existentiam ejus actualem sive formalem; vel ex mundo ideali sive metaphysico transire in mundum physicum sive actualem: Auctores igitur ipsi, si placet, consulantur. Ad obscurandam vero mentem argumen-

---

(a) Ille in *Exercitationum de cognitione Dei & nostri*, Exercit. XXXI hic in *Institutione Philosophiæ secundum principia D. CARTESII*, Part. II, Cap. III.

gumenti haud parum conferre videtur ambigua illa notio vocabuli *existentiæ*, qua ejus defensores, utuntur in prioribus syllogismi sui propositionibus, pro *idea*, (scilicet *existentiæ*), fortassis consulto, ut de CARTESIO observat MOSHEIMIUS (*b*); quo scilic. quatuor suos terminos occultent.

Præter hos autem defensores causæ CARTESI-ANÆ (*c*) dicuntur etiam de hoc argumento bene meriti esse HERM. ALEX. ROELLIUS, qui magnum causæ Dei in eo posuit præsidium (*d*), (quod etiam fecit MALLEBRANCHIUS (*e*)) & HENRICUS MORUS, testante MOSHEIMIO (*f*) quem tamen  
BRUC-

(*b*) In notis ad CUDWORTHII *Systema Intellectuale*, Cap. V. Sect. I. §. CI. pag. 892. Ed. Jenæ, 1733.

(*c*) Quibus multos addi videmus; ut Dom. GEISVEIT qui in Disputatione inaugurali, quæ introductionem in argumentum a priori continet, nihil magis contra scepticos valere arbitrans; vid. BUDDI *Thef. de Atheismo & superstitione* Cap. V. § I. pag. 276, MARTYN *verhandlung von den Natürl. Gottedienst.* p. 1. Cap. I. & 2. JAC. ODE *Theol. Natur.* p. 23 & seqq. AALSTIUM *Bespiegelung der redenleer.* C. 3. & quos enumerat GRAPIUS *Theologie recens controversæ* T. I. C. I. Quæst. 3. p. 11 & seqq.

(*d*) *De Relig. Naturali & De Ideis innatis.* Cfr. BRUCKERI *Hist. philof. Crit.* T. V. Lib. I. C. VII p. 296.

(*e*) *De inquirenda veritate.*

(*f*) Ad CUDWORTHII l. c. §. 98. p. 886. qui citat

BRUCKERUS (g) ad eorum refert philosophorum classem qui emendari quodam modo argumentum CARTESII voluerunt; *tunc solidum esse fassi, si idea illa de Deo, perfectissimo ente, omnium entium causa, certis rationibus collecta, exque rerum natura, mentis iudicio & intimo conscientiae sensu agnita, perceptio viva & fortis intelligatur.*

Illorum deinde commemoranda venit sententia, qui in antecessum ostensa possibilitate entis perfectissimi, *Cartesianam* demonstrationem existentiae ejus, recte se habere putarunt; nam non tantum plures viri acuti & eruditi, recentiorum temporum amplexi sunt verum etiam superiori jam seculo nonnullis arrisisse reperimus. Ut enim taceamus MERSENNUM, eosque quorum ille argumentum comparat cum CARTESII (de quibus supra), imprimis hoc nomine memorandi videntur Duumviri celeberrimi RADULPH. CUDWORTHUS & JOH. BAPTISTA Du HAMMEL; quorum ille in *Systemate suo Intellectuali hujus universi* (h), hic vero in *Philosophia veteri & nova, ad usum scholae accommodata* (i), hac Lege argumentum saepe commemoratum valere contenderunt.

C

Ut

---

ejus *Antidotum adversus Atheismum* (Lib. I. C. 8. p. 28.) *scholiage* ad eund. librum (p. 145. seqq.).

(g) l. c. qui eundem citat librum MORI.

(h) Cap. V. Sect. I § 101. & seqq. p. 889. f.

(i) Tom. prior. Lib. II. Tract. III. Disp. I. Quæst. I. pag. 399. Edit. Norib. 1682.

Ut primo de hoc loquar, ipsum etiam CARTE-  
SII argumentum paululum a superius exhibita forma  
immutatum, proponit; hoc scilicet modo conclusio-  
nem ejus contruens (propositiones enim anteceden-  
tes easdem retinet): *Ergo ubi ens summe perfectum at-  
tentiori animo contemplamur, illi existentiam saltem possi-  
bilem tribuimus: ubi vero illud ens a nobis omnipotens  
cogitatur, statim agnoscimus id sua vi posse existere: at-  
que adeo revera esse, & semper extitisse. Nam id lumi-  
ne naturali notum est: quod propria vi potest esse, illud  
semper existere.* Quæ tamen concludendi forma non  
est aliena a mente CARTESII, qui eandem exhibet  
in fine responsionum ad primas objectiones, (k).  
Sic autem prolato ipso argumento, repetit objec-  
tiones nonnullas, imprimis a GASSENDO contra illud  
allatas; & hinc tandem colligit, argumentum CAR-  
TESII ita oportere muniri, contra adversariorum  
tela, ut prius probetur, *illam Dei notionem esse rea-  
lem non fictitiam, rei scilicet possibilis non impossibilis.*  
Hoc ex tribus principiis demonstrat. Primo ex eo  
quod clara & distincta ejus sit repræsentatio; secundo,  
quod summe perfecti idea existentiam suo conceptu  
includat; & tertio quod rei fictitiæ idea possit in par-  
tes secari, & augeri, idea autem entis perfectissimi  
non ita nisi idea ipsa destruat.

Quod cum perfecisset, sequenti modo argumenta-  
batur: *Si possibile est ens perfectissimum, necesse est ut exi-  
stat.*

---

(k) CARTESII *Medit. de philos. prim.* pag. 54.

*stat. Si enim non existeret, omnino esset impossibile: cum nihil ei dare possit existentiam, & quanto illud est majus, hoc erit magis impossibile: atque illud lumine naturali notum est, id quod sua vi potest esse, semper existere.*

Idem hoc argumentum CUDWORTHUS fufius explicat, & ut eo melius vis ejus emicet, sub duplici proponit paulo emendatiori forma. Nos, ut brevitati litemus, posteriorem tantum, quæ utriusque vim continet, proponemus, quæ sequens est: *Cujuscunque rei species aut notio, ex rebus constat haud inter se pugnantibus; ea res aut est revera, aut possibilis saltem est. Sed si Deus non est, nunquam fieri potest ut existat; ergo Deus existit.*

Hujus argumenti natura & vis optime fortassis patebit, si tria in quæ a MOSHEIMIO (1) resolutum illud fuit membra figillatim tradiderimus, quæ hujus modi sunt; primum: *Cujuscunque rei species ex rebus constat inter se non pugnantibus, ea res aut est, aut esse potest. Atqui Deus &c. ergo Deus aut est, aut esse potest.* Alterum: *Cujuscunque rei species necessariam continet existentiam, ea res non potest esse & non esse. Atqui Dei &c. ergo Deus non potest esse & non esse.* Tertium: *Quodcunque non potest vel esse vel non esse, id siquidem esse potest, existit. Atqui Deus &c. ergo Deus existit.*

Hoc autem modo distributo a se argumento, elegantissime, & quantum quidem nos perspicere vale-

---

(1) In not. ad CUDWORTHI Syst. int. l. c. §. 102.

lemus, solidissime explicat, vocabula illa *possibile esse* & *posse existere* de Deo heic non posse prædicari in significatione sua physica sive reali, sed tantummodo in metaphysica sive ideali; qua significant nihil præter *possibilitatem rei in mente cogitantis*, sive externam, ut a nonnullis solet appellari; nisi velimus, cum pluribus, peccare in eo, quod plus ponatur in conclusione quam fuit in præmissis, & quod ab idea ad rem actualem, ideæ isti respondentem, contra omnem nobis perspectam rationem concludatur. Quæ tamen hoc loco verbo solummodo tetigisse contenti, ad reliquam hujus argumenti historiam enarrandam contendimus.

